

SEXTI PROPERTI ELEGIARVM

LIBER PRIMVS

MONOBIBLOS

1

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
contactum nullis ante Cupidinibus.
tum mihi constantis deiecit lumina fastus
et caput impositis pressit Amor pedibus,
donec me docuit castas odisse puellas 5
improbis, et nullo uiuere consilio.
et mihi iam toto furor hic non deficit anno,
cum tamen aduersos cogor habere deos.

incipit propertius N : incipit monobiblos propercii aurelii naute ad tullum A : incipit monobiblos propertii aurelii naute ad tullum. heroys prima F : monobiblos propertii aurelii naute ad tullum. incipit liber primus feliciter P : propertii aurelii naute umbri monobiblos incipit ad tullum V : *inscriptione caret* Vo

1 heroys prima A F 1 prima] sola P (*corr.* P²) cepit] fecit A F P (*corr.* F⁴ P²); *cf. Meleag. AP 12,101,3 τὸν θρασὺν εἶλον ἐγὼ, Parthen. Erot. path. 9,1 τὸν τῶν Ἐρυθραίων ἡγεμόνα Διόγνητον εἶλον* 3 tunc A F P 5 castas docuit V (*corr.* V²) Vo; *sed cf. CLE 354,1 B. candida me docuit nigras odisse puellas* 7 ei mihi Rossberg; *cf. tamen de nexu et . . . non K.-St. II 40sq., ThLL V 2,905,65sq., de deficio + dat. Caes. Gall. 3,5,1, Cic. rep. frg. 7 (p. 111,17-20 Ziegler²) totis . . . annis P V (corr. V²) Vo : toto . . . annis A F (corr. F⁴)*

Milanon nullos fugiendo, Tulle, labores
 saeuitiam durae contudit lasidos. 10
 nam modo Partheniis amens errabat in antris,
 ibat et hirsutas ille uidere feras;
 ille etiam Hylaei percussus uulnere rami
 saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
 ergo uelocem potuit domuisse puellam: 15
 tantum in amore preces et bene facta ualent.
 in me tardus Amor non [n]ullas cogitat artis,
 nec meminit notas, ut prius, ire uias.
 at uos, deductae quibus est fallacia lunae
 et labor in magicis sacra piare focis, 20
 en agedum dominae mentem conuertite nostrae,
 et facite illa meo palleat ore magis!

9 minalion N A F P V : mimalion F⁴ nullo A F (corr. F⁴) 11
 post hunc uersum duos uersus excidisse putat Housman, cuius
 sententia altero modo uel rursus uel interdum hic caremus; cf.
 tamen ThLL VIII 1313,43sq., Wölfflin ALL 2 (1885) 252sq.,
 Tränkle 15, qui seriem modo ... et ... etiam iure tuentur 12
 ille] saepe cod. Vat. Lat. 1611, prob. Sh. Bailey 3; sed de pro-
 nomine ille ἀπὸ κοινοῦ cf. ThLL VIII 362,52sq. uidere]
 ferire Heinsius : ciere Baehrens; sed cf. Verg. buc. 10,52, Fedeli
 RFIC 102 (1974) 405sq. 13 psilli (psy-) ω, corr. Franciscus
 Arretinus uulnere] arbore A F (ab s. l. F⁴) : uulnere in ras.
 P² : pondere codd. Passeratii : robore ζ : uerbere Baehrens; sed
 de uoce uulnus = ictus cf. Verg. Aen. 2,436, Ouid. met. 12,104,
 Sen. Herc. O. 160, Sil. 2,92, Val. Fl. 6,653, Lucan. 3,568 17
 non nullas ω : non illas Dousa, corr. ζ 18 memini A F (corr.
 F⁴) P 19 aut Hartman; sed particula at persaepe precatones
 inducit; cf. ThLL II 995,53sq. pellacia Fruter; sed cf. u. 23
 tunc ego crediderim et Sh. Bailey CIQ 43 (1949) 22sq. 20
 sacra] fata Fontein : astra Unger; uersum recte interpretatur
 Cairns CIQ 68 (1974) 102, coll. Tib. 1,2,59-64 22 placeat A F;
 sed cf. Theocr. 2,88 καὶ μεν χρώς μεν ὁμοῖος ἐγένετο πολλάκι
 θάψω

tunc ego crediderim uobis et sidera et amnis
 posse † cythalinis † ducere carminibus.
 aut uos, qui sero lapsum reuocatis, amici, 25
 quaerite non sani pectoris auxilia.
 fortiter et ferrum saeuos patiemur et ignis,
 sit modo libertas quae uelit ira loqui.
 ferte per extremas gentis et ferte per undas,
 qua non ulla meum femina norit iter: 30
 uos remanete, quibus facili deus annuit aure,
 sitis et in tuto semper amore pares.
 in me nostra Venus noctes exercet amaras
 et nullo uacuu tempore deficit Amor.
 hoc, moneo, uitate malum: sua quemque moretur 35
 cura, neque assueto mutet amore locum.
 quod si quis monitis tardas aduerterit auris,
 heu referet quanto uerba dolore mea!

24 cythalinis N : citalinis F P : cithalinis A F² P² : cytalinis
 V Vo : citheinis V² : citeinis P^{rec} in mg. : cithainis N² : Cytaeaeis
 Guyet : Cytaeines (prob. Prinz WSt 54 [1936] 87, qui adfinita-
 tem quandam cum uocibus q. s. heroine uel nereine hic inesse
 censet) uel Cytinaeis Hertzberg : Cytaeadias Leo (fort. recte; cf.
 enim Apoll. Rhod. 2,399; 4,511 Κυταΐδος, 2,1267 Κυταΐδα) :
 alii alia 25 aut] et N A F P V Vo : at F⁴; corr. Hemsterhuys,
 prob. Leo Kl. Schr. II 187; cf. etiam Fedeli SIFC 44 (1972)
 184sq. 29 forte ... fer(r)e A F (corr. F³) 31 facilis F ore ζ;
 intellege tamen: (Amor) annuit praebeens facilem, i. e. propi-
 tiam, aurem 32 et] ut Richards 33 nostra] dura Francius :
 uestra Richards; nostra Venus communem omnium amantium
 deam designat 36 locum] torum Otto, prob. Housman Class.
 Pap. 53; sed cf. Plaut. Epid. 137 quia amor mutauit locum, Ter.
 Eun. 972 ubi satias coepit fieri, commutat locum

2

Quid iuuat ornato procedere, uita, capillo
 et tenuis Coa ueste mouere sinus,
 aut quid Orontea crinis perfundere murra,
 teque peregrinis uendere muneribus,
 naturaeque decus mercato perdere cultu,
 nec sinere in propriis membra nitere bonis?
 crede mihi, non ulla tuae est medicina figurae:
 nudus Amor formae non amat artificem.
 aspice quos summittat humus formosa colores,
 ut ueniant hederæ sponte sua melius,
 surgat et in solis formosius arbutus antris
 et sciat indociles currere lympa uias.
 litora natiuis † persuadent † picta lapillis
 et uolucres nulla dulcius arte canunt.

2 ad cynthiam (ci-) A F : ad cinthiam improprio nimii cultus P : ad cynthiam amicam V 1 uitta A F⁴ : uicta F P (corr. P²) : uincta F³ : uita V² in ras.; cf. *Svennung Cat. Bild. 110sq. de uocatiuis uita, lux. ψυχῇ, ζωῇ ad amatam pertinentibus* 7 tua est N A F P, sed cf. *Sh. Bailey 9; de synaloephe cf. u. 17; 1,3,25* 8 nullus F (corr. F⁴) : de nudo Amore cf. *Pallad. AP 16,207,1, Philostr. epist. 12 (51),9sq., Ouid. am. 1,10,15* formam *Heinsius, fort. recte: cf. enim Val. Fl. 6,465 artificis ... formae* et adde *Prop. 2,31,8 artifices ... boues, Pers. 5,40 artificem ... uultum. Sed codicum lectionem optime defendit 2,1,58 solus Amor morbi non amat artificem* 9 quot ζ : quo *Lachmann* 10 ut] et ω, corr. cod. Paris. Lat. 7990, prob. *Madvig Aduers. II 63* 11-12 et ... et] ut ... ut ζ 13 collucent P² : persudant V³ : pellucent ζ : praelucent *Hertzberg* : prae-fulgent *Baehrens* : prae-gaudent *Otto* : pergaudent *Enk* : sua gaudent *Sh. Bailey* : alii alia; tradita defendunt *Vahlen Ges. Phil. Schr. II 110*, cuius sententia picta idem ac se picta esse ualet, et *Pasoli Monob. 22*, qui persuadeo pro allicio interpretatur et ad se admiranda simul audit 14 hic incip. D

non sic Leucippis succendit Castora Phoebe,
 Pollucem cultu non Helaira soror;
 non, Idae et cupido quondam discordia Phoebo,
 Eueni patriis filia litoribus;
 nec Phrygium falso traxit candore maritum
 aucta externis Hippodamia rotis:
 sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
 qualis Apelleis est color in tabulis.
 non illis studium uulgo conquirere amantis:
 illis ampla satis forma pudicitia.
 non ego nunc uereor ne sim tibi uilior istis:
 uni si qua placet, culta puella sat est;
 cum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet
 Aoniamque libens Calliopea lyram,
 unica nec desit iucundis gratia uerbis,
 omnia quaeque Venus, quaeque Minerua probat, 30

16 telaria N : tela ira A F : telaira P F⁴ : thelaira Δ : ilaira N² P²; *ipse correxi praeunte W. Schulze Quaest. ep. 466sq., qui dilucide ostendit apud Propertium legi non posse Hilaira (uide enim Ἡλαίρα); cf. contra Ἑλαίρα* 17 ida N Δ : yda A F P; corr. N² P² D³ V² 18 et uenit N : euenit A F P Δ; corr. N² F⁴ P² D³ V³ 19 non Δ 20 aduecta P Δ (corr. V²) 23 uulgo] uultu *Fontein* : fuco *van Eldik* : cultu *Nodell*; sed conquirere idem atque colligere ualet (cf. *ThLL IV 355,27sq.*) et uulgo pro omnibus locis usurpatur a(c)quirere A F P (corr. F⁴) amittes A : amictes F (corr. F⁴) 24 forma ... ampla A F P 25 post hunc uersum duos uersus excidisse putat *Havet* nunc] non N (corr. N²); de particula nunc, quae de improuiso transitum ad praesentem uitae condicionem designat, cf. *Verg. buc. 10,44sq.; Tib. 1,5,35sq.; 1,10,7-13; Leo Kl. Schr. II 32* sis mihi ζ : sis tibi *Wehle, fort. recte; cf. enim O. Skutsch ClQ 67 (1973) 316 et uide contra Lachmann 13, qui distichon, mea sententia, recte interpretatur* 26 culta] una A F P D² (corr. F⁴ P²) 29 ne A F P uerbis] dictis Δ (corr. V²); dictis prob. *Housman Class. Pap. 283; mea quidem sententia perspicuum exemplum doctrinae eruditionisque, quas familiae Δ fons in textu immutando adhibuit, hic habemus; cf. enim Ouid. met. 13,27 neque absit facundis gratia dictis*

his tu semper eris nostrae gratissima uitae,
taedia dum miserae sint tibi luxuriae.

3

Qualis Thesea iacuit cedente carina
languida desertis Cnosia litoribus;
qualis et accubuit primo Cepheia somno,
libera iam duris cotibus, Andromede;
nec minus assiduis Edonis fessa choreis 5
qualis in herboso concidit Apidano:
talis uisa mihi mollem spirare quietem
Cynthia non certis nixa caput manibus,
ebria cum multo traherem uestigia Baccho,
et quaterent sera nocte facem pueri. 10
hanc ego, nondum etiam sensus deperditus omnis,
molliter impresso conor adire toro;
et quamuis duplici correptum ardore iuberent
hac Amor hac Liber, durus uterque deus,
subiecto leuiter positam temptare lacerto 15
osculaque admota sumere et arma manu,
non tamen ausus eram dominae turbare quietem,
expertae metuens iurgia saeuitiae;

3 ad cynthiam AFDV : de accessu suo ad cynthiam dormientem P 6 concidit AFP : concidit Δ (corr. A² P² V²) 7 sperare NAFPDVVo² (corr. N² F⁴ P² V²) : cf. Theocr. 17,51sq. μαλακοῦς μὲν ἔρωτας / προσπνέει et de iunctura mollis quies Catull. 63,38. 44; 80,3sq.; Lucr. 4,999 8 non certis] consertis Guyet 16 amota ε; simul audi tamen corpori et arma] ad ora Gronouius : rapta Heinsius : tarda Scaliger : rara Struve : alii alia; de zeugmate uide Leo Sen. 1 196sq., H.-Sz. 832; de uoce arma nude posita et amatoria significatione praedita cf. 4,8,88 toto soluimus arma toro, Petron. 130,4 paratus miles arma non habui; de cacemphato (ar m a m a nu) apud Propertium cf. 1,6,33; 2,7,11; 2,8,32 (= 4,6,34); 2,18,30; 2,32,16; 4,4,26; 4,8,30

sed sic intentis haerebam fixus ocellis,
Argus ut ignotis cornibus Inachidos. 20
et modo soluebam nostra de fronte corollas
ponebamque tuis, Cynthia, temporibus;
et modo gaudebam lapsos formare capillos;
nunc furtiua cauis poma dabam manibus;
omnia quae ingrato largibar munera somno, 25
munera de prono saepe uoluta sinu;
et quotiens raro duxti suspiria motu,
obstupui uano credulus auspicio,
ne qua tibi insolitos portarent uisa timores,
neue quis inuitam cogeret esse suam: 30
donec diuersas praecurrens luna fenestras,
luna moraturis sedula luminibus,
compositos leuibis radiis patefecit ocellos.
sic ait in molli fixa toro cubitum:
'tandem te nostro referens iniuria lecto 35
alterius clausis expulit e foribus?
namque ubi longa meae consumpsti tempora noctis,
languidus exactis, ei mihi, sideribus?

20 ut ignotae ε : uti notis Scaliger : uti natis Kraffert : ut in notis Hailer; quod adinet ad ignotus i. e. inconusuetus cf. exempla ab Housman ad Manil. 3,4 allata (Verg. Aen. 11,677sq.; Ouid. am. 2,1,6, trist. 3,8,2; Germ. Arat. 365sq.; Sil. 5,619sq.) 25 omniaque ω; corr. Dousa, prob. Sh. Bailey 12sq.; cf. idem hexametri initium apud Catull. 76,9 27 duxit ω (prob. Rothstein 1 463, Pasoli Monob. 25), corr. ε; cf. u. 22 tuis, u. 29 tibi, Leo Kl. Schr. II 187 29 sibi Δ (corr. V²) 30 cogerit AFPΔ (corr. F³ V²) 31 diuisas Scaliger; sed cf. Postgate PCPhS 1892, 12, qui diuersas fenestras opponi iunctis fenestris censet; cf. enim Philod. AP 5,123,1-3, qui Properti uersuum est fons percur(r)ens Δ; sed de praecurro i. q. praetergredior cf. 1,13,25, Cic. Lael. 62, Q. Cic. comm. pet. 28 33 compositis AFPΔ (corr. F⁴ P² V²) ocellis AFP (corr. A² F⁴ P²) 37 nempe Burman, sed cf. Spandau Serm. Prop. 24, K.-St. II 115, quorum exempla namque optime tuentur

o utinam talis producas, improbe, noctes,
 me miseram qualis semper habere iubes! 40
 nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
 rursus et Orpheae carmine, fessa, lyrae;
 interdum leuiter mecum deserta querebar
 externo longas saepe in amore moras:
 dum me iucundis lapsam Sopor impulit alis. 45
 illa fuit lacrimis ultima cura meis.'

4

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
 mutatum domina cogis abire mea?
 quid me non pateris uitae quodcumque sequetur
 hoc magis assueto ducere seruitio?
 tu licet Antiopae formam Nycteidis, et tu 5
 Spartanæ referas laudibus Hermionæ,
 et quascumque tulit formosi temporis aetas;
 Cynthia non illas nomen habere sinat:

39 perducas N A F P D V : perducatur Vo; corr. ζ; quod adtinet
 ad producere noctem i. q. extendere noctem cf. Mart. 2,89,1
 nimio gaudes noctem producere uino et adde Verg. Aen. 2,637
 producere uitam, Hor. sat. 1,5,70 producere cenam 43
 grauiter ... loquebar Δ (corr. V²); cf. Vahlen Opusc. II 252sq.,
 qui dilucide ostendit uoces leuis uel leuiter cum uerbis 'sonandi'
 idem ualere ac lenis uel leniter: cf. e. g. Catull. 64,273 leuiter-
 que sonant plangore cachinni, Prop. 2,32,15 et leuiter nymphis
 tota crepitantibus urbe 44 hesterno Luineius; sed cf. ThLL V
 2,2023,61-68 (externus i. q. adulter, riuallis) lassam P (corr. P²)
 V²; hysteron proteron hic Propertius adhibet

4 ad bassum A F D V : ad bassum cupientem poetam sedu-
 cere ab amore cinthie P 4 ducere] uiuere P² 6 hermiones P
 7 famosi Struve; sed cf. eandem iuncturam (formosum tempus)
 apud Ouid. fast. 4,129 8 sinet V²

nedum, si leuibus fuerit collata figuris,
 inferior duro iudice turpis eat. 10
 haec sed forma mei pars est extrema furoris;
 sunt maiora, quibus, Basse, perire iuuat:
 ingenuus color et multis decus artibus, et quae
 gaudia sub tacita ducere ueste libet.
 quo magis et nostros contendis soluere amores, 15
 hoc magis accepta fallit uterque fide.
 non impune feres: sciet haec insana puella
 et tibi non tacitis uocibus hostis erit;
 nec tibi me post haec committet Cynthia nec te
 quaeret; erit tanti criminis illa memor, 20
 et te circum omnis alias irata puellas
 differet: heu nullo limine carus eris!
 nullas illa suis contemnet fletibus aras,
 et quicumque sacer qualis ubique lapis.
 non ullo grauius temptatur Cynthia damno 25
 quam sibi cum rapto cessat amore deus:

9 fuerat A F (corr. F⁴) 10 eat in ras. A : erat F : erit P 14
 dicere ω (prob. Pasoli Monob. 30), corr. ζ uox gaudia cum
 amatoria significatione usurpatur (i. q. Veneris gaudia); uestis
 autem idem ac stragula uestis ualet 16 fallis utrumque Δ (corr.
 V²); simul audi te uel conatus tuos 17 insane ed. Gryphiana
 19 me] se Housman; intellege tamen cum Enk I 2,51 nolet te mea
 consuetudine uti 22 differt A F (corr. F⁴): deferet Δ : diferet
 V²; differre idem atque infamare uel obtretere hic ualet; cf.
 Hofmann Umg. 201, Tränkle 133 lumine A F P 24 ut
 Fontein : nec Hoeufft; de sententia positua negatiuae con-
 iuncta per particulam et uel -que cf. ThLL II 1511,21sq., H.-Sz.
 500 26 deus] decus Kraffert, probb. B.-B. 160, qui Stat. silu.
 3,5,68sq. conferunt; ego uero qui sit conexus inter Cynthiae
 pulchritudinem (sic enim B.-B. decus interpretantur) eiusque amo-
 ris exitum intellegere nequeo; deus contra cum uerbo q. e. ces-
 sare optime congruit: cf. enim Cic. nat. deor. 1,22; 2,59; 3,93

praecipue nostri. maneat sic semper, adoro,
nec quicquam ex illa quod querar inueniam!

5

Inuide, tu tandem uoces compesce molestas
et sine nos cursu, quo sumus, ire pares!
quid tibi uis, insane? meos sentire furores?
infelix, properas ultima nosse mala,
et miser ignotos uestigia ferre per ignis, 5
et bibere e tota toxica Thessalia.
non est illa uagis similis collata puellis:
molliter irasci non solet illa tibi.
quod si forte tuis non est contraria uotis,
at tibi curarum milia quanta dabit! 10

27 nostro ς ; sed *genetiuis subiectiuus personalis pronominis pro adiectiuo possessiuo usurpatur apud Cic. Tusc. 5,36, Val. Max. 9,12 ext. 1, Sen. dial. 1 (= prouid.), 2,4, epist. 61,3, Tac. hist. 3,34; cf. Draeger I 471, K.-St. I 598sq.*

5 ad gallum F D V : ad gallam A : ad gallam amoris improperatorem et inuidum P 2 curru V² quaesumus Hoeufft 3 meos] tuos A : meos ex corr. P² : om. F *spatio relicto* (meos suppl. F⁴ feros et meos F³ in mg.) : meae (sc. Cynthiae) Hemsterhuys (prob. Lachmann 21, qui furores pro ira interpretatur; sed furor insanum Properti amorem erga Cynthia designat) : suos Guyet 7 uagis] magis A F (corr. F⁴) P 8 solet] sciet ς : sinet uel sinit Itali : uolet Palmer; sed tradita defendi possunt: solet enim praesens pro futuro haberi potest; quod adinet ad datiuum tibi, is ab infinitiuo irasci pendet aut ethica ui est praeditus mihi ς 9 quid Δ (corr. V²); cf. idem hexametri initium in 2,26,13 ruis N A F P D V : ausis Vo V²; corr. N² D³ V³ uotis] nostris ω : uerbis Housman; corr. N³ (man. rec.) D³ V²; cf. Lygd. 4,84 nec tibi crediderim uotis contraria uota, Pichon Ind. uerb. amat. 300 (uotum i. q. cupiditas amatoria) 10 at] ah Puccius; sed cf. Liu. 9,1,8, Ouid. met. 2,293sq., trist. 2,91sq.

non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos;
illa feros animis alligat una uiros.
a! mea contemptus quotiens ad limina curres,
cum tibi singultu fortia uerba cadent
et tremulus maestis orietur fletibus horror 15
et timor informem ducet in ore notam
et quaecumque uoles fugient tibi uerba querenti,
nec poteris, qui sis aut ubi, nosse miser!
tum graue seruitium nostrae cogere puellae
discere et exclusum quid sit abire domum; 20
nec iam pallorem totiens mirabere nostrum,
aut cur sim toto corpore nullus ego.
nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
nescit Amor priscis cedere imaginibus.
quod si parua tuae dederis uestigia culpae, 25
quam cito de tanto nomine rumor eris!
non ego tum potero solacia ferre roganti,
cum mihi nulla mei sit medicina mali;
sed pariter miseri socio cogemur amore
alter in alterius mutua flere sinu. 30
quare, quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
quaerere: non impune illa rogata uenit.

15 moestus V²; maestis fletibus idem ualet atque cum maestis fletibus; cf. 2,9,21; 3,7,55 tremulis maestus ς ; de metonymia cf. tamen 4,1,49 Auernalis tremulae cortina Sibyllae, Cic. Arat. 68 tum fixum tremulo quatietur frigore corpus 16 docet A F P; de iunctura ducere notam cf. Tib. 1,6,20, Ouid. trist. 2,454, Claudian. carm. min. 26,5sq. 19 tunc P 20 domo Heinsius, prob. Lachmann 22, ad homoeoteleuton in pentametro uitandum; cf. tamen de homoeoteleuto apud Propertium O. Skutsch BICSt 11 (1964) 73sq. 21 miserabere Vo 25 quid Δ 31 quid] quod N (corr. eadem man., ut uid.) A F

6

Non ego nunc Hadriae uereor mare noscere tecum,
 Tulle, neque Aegaeo ducere uela salo,
 cum quo Rhipaeos possim conscendere montis
 ulteriusque domos uadere Memnonias;
 sed me complexae remorantur uerba puellae 5
 mutatoque graues saepe colore preces.
 illa mihi totis argutat noctibus ignes
 et queritur nullos esse relictos deos;
 illa meam mihi iam se denegat, illa minatur,
 quae solet i(n)grato tristis amica uiro. 10
 his ego non horam possum durare querelis:
 a pereat, si quis lentus amare potest!

6 ad tullum AFDV: ad tullum excusatio quod non timore maris desistat secum transfretare sed amore ac precibus cinthie
 P 1 tunc AFD (corr. F⁴ P²): tum Vo; nunc in elegiae exordio eandem uim habet atque igitur apud Prop. 1,19,1; 2,18b,23; cf. Hofmann Umg. 42 3 quo Rhipaeos] coriopes N: coriopes AFD: corcyreos V²; corr. N²; de montibus Rhipaeis cf. Kiessling RE I A 1 (1914) 849sq. 4 in emonias P Δ (corr. P² V²) domo... Memnonia Lachmann, prob. Enk I 2,63 ('cum exempla desint quae defendant ulterius hic idem esse atque ulterius quam'); sed de particula quam omitta cf. exempla a Vahlen Ges. Phil. Schr. II 122 allata (Plaut. Bacch. 672, Lucr. 4,414, Prop. 2,24,48, Ouid. met. 11,478sq.); quod adtinet ad ulterius + acc. Löfstedt Gl 3 (1912) 24sq. confert Mulom. Chir. 92. 146. 445, Grom. uet. 336,12; 365,25 Lachm. 5 memorantur AP (corr. F⁴) 6 dolore AFD (corr. F⁴ V²): calore Heinsius; sed cf. 1,15,39 quis te cogeat multos pallere colores et exempla a Cairns AJPh 95 (1974) 151 allata (Plat. Lys. 222 B, epist. 7,349 A, Phil. legat. ad Gaium 266) 9 meam] etiam Fontein se iam ε (et Heinsius), prob. Lachmann 25, cum in codicibus eadem syllaba bis sub ictu ponatur (meam mihi iam); sed exemplum non dissimile inuenitur apud Prop. 2,14,15 atque utinam non tam 10 irato ω (prob. Cairns AJPh 95 [1974] 152), corr. ε; cf. Leo Kl. Schr. II 188 et de amantis ingrato animo in poesi amatoria R. Reitzenstein Spr. d. lat. Erotik 19 12 amore NAFP (corr. N² F³)

an mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas
 atque Asiae ueteres cernere diuitias,
 ut mihi deducta faciat conuicia puppi 15
 Cynthia et insanis ora notet manibus,
 osculaque opposito dicat sibi debita uento,
 et nihil infido durius esse uiro?
 tu patruī meritas conare anteire securis
 et uetera oblitis iura refer sociis. 20
 nam tua non aetas umquam cessauit amori,
 semper at armatae cura fuit patriae;
 et tibi non umquam nostros puer iste labores
 afferat et lacrimis omnia nota meis!
 me sine, quem semper uoluit Fortuna iacere, 25
 hanc animam extremae reddere nequitiae.

14 noscere V² 15 om. A (suppl. man. rec.) FP (add. ead. man.)
 17 dedita Δ, corr. V², qui et contraria add. in mg.; familiae Δ
 lectionem improbaui ap. SIFC 44 (1972) 191sq., coll. Ouid. her. 7,41-44, Val. Fl. 2,407sq., Sil. 12,633sq.; mea sententia Cynthia et minatur et oscula iactat Propertio, cum contra nonnulli interpretes censeant Cynthia suas querellas dicere opposito uento; sed nauis nondum soluta est propter oppositam uenti uim: Cynthia igitur sua oscula debet opposito uento 19 emeritas ε: meritis Palmer; intellege tamen 'securis quas patruus tuus meruit', non 'securis quae meruerunt, ut tu eas superare coneris' (sic Enk II 1,65) et cf. Sh. Bailey 20, Pasoli Monob. 43 21 numquam AFDV² seruiuit V² 22 et P; prob. Lachmann 27, qui hic antithesin non necessariam censet esse; sed post negatiuam sententiam particula at nullam antithesin inducit apud Cic. Att. 7,11,3, Verg. georg. 3,520-523 at armato Hemsterhuys 24 uota F (corr. F⁴) Vo D² 25 quem] iam AF (corr. F⁴) P uoluit semper Δ uerborum ordine, ut saepe, immutato; uide enim app. ad 1,20,11; 2,28,29 et Housman Class. Pap. 293 26 huic... extremam Housman extrema... nequitia Fontein; sed tradita recte interpretatur Passerat 171 ('dixit translatione a rebus creditis, quia debetur uita naturae'); cf. enim Cic. Phil. 10,20 spiritum patriae reddere et adde Ouid. met. 10,202; Octau. 629sq. 829

multi longinquo periere in amore libenter,
 in quorum numero me quoque terra tegat.
 non ego sum laudi, non natus idoneus armis:
 hanc me militiam fata subire uolunt. 30
 at tu seu mollis qua tendit Ionia, seu qua
 Lydia Pactoli tingit arata liquor;
 seu pedibus terras seu pontum carpere remis
 ibis, et accepti pars eris imperii.
 tum tibi si qua mei ueniet non immemor hora, 35
 uiuere me duro sidere certus eris.

7

Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae
 armaque fraternae tristia militiae,
 atque, ita sim felix, primo contendis Homero
 (sint modo fata tuis mollia carminibus),
 nos, ut consuemus, nostros agitamus amores 5
 atque aliquid duram quaerimus in dominam;
 nec tantum ingenio quantum seruire dolori
 cogor et aetatis tempora dura queri.

32 tinguat A F : cingit Δ (corr. D³) aratra V²; sed cf. ThLL II 626,70-74 33 remige carpes O. Skutsch; de cacemphato (carpere remis) cf. app. ad I,3,16; de infinitiuo post uerbum ire et sim. cf. e. g. I,1,12

7 ad ponticum A F D V : ad pontium P 1 dum] cum D : um V (d add. man. rec.) Vo (deest rubricator) 3 prisco V²; intellege tamen: contendis Homero, poetarum principi et confer Hor. carn. 4,9,5sq., Quintil. inst. 8,5,9, Plin. n. h. 2,13, Anth. Lat. 740,1sq. R. 7 tantum] tamen A F P

hic mihi conteritur uitae modus, haec mea fama est,
 hinc cupio nomen carminis ire mei. 10
 me laudent doctae solum placuisse puellae,
 Pontice, et iniustas saepe tulisse minas;
 me legat assidue post haec neglectus amator
 et prosint illi cognita nostra mala.
 te quoque si certo puer hic concusserit arcu, 15
 † quod nollim nostros euiolasse † deos,
 longe castra tibi, longe miser agmina septem
 flebis in aeterno surda iacere situ;
 et frustra cupies mollem componere uersum
 nec tibi subiciet carmina serus Amor. 20
 tum me non humilem mirabere saepe poetam,
 tunc ego Romanis praeferar ingeniis;
 nec poterunt iuuenes nostro reticere sepulcro
 'Ardoris nostri magne poeta iaces.'
 tu caue nostra tuo contemnas carmina fastu: 25
 saepe uenit magno faenore tardus Amor.

9 haec] et F 11 laudant A F (corr. F⁴) P V² docuisse N : placuisse s. l. ead. man. (ut uid.) 15 percusserit Lipsius; sed concutere idem ualet ac ferire apud Lucan. 5,120, Sil. 1,492, Hier. epist. 1,11 16 quod nolim (nollim N) nostros euiolasse deos ω : quo nolim nostros te uiolasse deos ζ : quam nolis nostros heu (te Butler) uiolasse deos Heinsius : quo nolim nostros me uiolasse deos Otto : quem nollem nostros heu uiolasse deos Tappe : quod nolim: nostros te uiolasse deos Phillimore : quam nolim nostros te uiolasse deos Rothstein : alii alia; locus deperditus, nulla certa coniectura sanatus 20 uerus A F P D V (corr. F⁴ V²) : seruus D² : seuus D³ 21 tu me A F (corr. F³) P 23-24 post u. 10 transt. Housman; sed cf. Sh. Bailey, qui dilucide ostendit futurum (u. 23 poterunt) minime congruere cum subiunctiuis hortatiuis (uu. 11-14) et contra optime conuenire cum uaticiniis quae in uu. 15-24 insunt 25-26 post u. 14 transt. Fischer

8

Tune igitur demens, nec te mea cura moratur?
 an tibi sum gelida uilior Illyria?
 et tibi iam tanti, quicumque est, iste uidetur,
 ut sine me uento quolibet ire uelis?
 tune audire potes uesani murmura ponti 5
 fortis, et in dura naue iacere potes?
 tu pedibus teneris positas fulcire pruinas,
 tu potes insolitas, Cynthia, ferre niues?
 o utinam hibernae duplicentur tempora brumae
 et sit iners tardis nauita Vergiliis, 10
 nec tibi Tyrrhena soluatur funis harena,
 neue inimica meas eleuet aura preces!
 atque ego tum uideam talis subsidere uentos,
 cum tibi prouectas auferet unda ratis,
 ut me defixum uacua patiatur in ora 15
 crudelem infesta saepe uocare manu!

8 ad cynthiam (ci-) A F D V : ad cinthiam preces ut desistat a nauigatione P 1 culpa A F P (corr. F⁴ P²) : curpa A²; mea cura *idem ualet atque cura mei*; cf. 3,22,2 (= 4,3,28) desiderio meo (i. q. desiderio mei) 2 sim A P 4 me om. A F (add. F⁴) 7 fulcare Vo : sulcare P² : calcare Passerat; sed cf. Tyrrell *Hermath.* 2 (1876) 117, cuius sententia in uerbo q. e. fulcire notio premendi inest: Cynthiae pedes niuem premunt eamque sustinent; cf. etiam Gr. ἐπειδω ruinas N A F P; sed cf. Verg. *buc.* 10,49 ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas, quem Propertius haud dubie imitatur 11 et 13 inter se commut. Sh. Bailey 13-14 post 10 transt. Cartault, post 16 Scaliger 13 aut ε tum] non ω, corr. Graeuius; haec ego tum uideam *idem est ac τοῦτον ἂν ἴδωμι*; cf. exempla a Fraenkel *Hor.* 29 allata et quae de huius elegiae uu. 13-16 ap. RFIC 102 (1974) 415-417 fuse disputant subdire F : sub sidere (sy-) F⁴ V² tali sub sidere Graeuius 14 propectas Volscus auferat Otto 15 ut] et ω, corr. Liuiueius patiaris ε : patienter Lachmann : patiantur Giri; sed cf. Vahlen *Ges. Phil. Schr.* II 139 in ora] arena Δ (cf. u. 11), corr. V²

sed quocumque modo de me, periura, mereris,
 sit Galatea tuae non aliena uiae:
 ut te, felici praeuecta Ceraunia remo,
 accipiat placidis Oricos aequoribus! 20
 nam me non ullae poterunt corrumpere de te
 quin ego, uita, tuo limine uerba querar;
 nec me deficiet nautas rogitare citatos
 'Dicite, quo portu clausa puella mea est?',
 et dicam 'Licet Atracii consadat in oris, 25
 et licet Hylaeis, illa futura mea est.'
 hic erit! hic iurata manet! rumpantur iniqui!
 uicimus: assiduas non tulit illa preces.
 falsa licet cupidus deponat gaudia Liur:
 destitit ire nouas Cynthia nostra uias. 30

17 quocumque N A mereris ex moreris N 19 utere P Δ (corr. V²) : et te Liuiueius : uites Lachmann; cf. Wackernagel *Vorles.* I 309, Löfstedt *Synt.* I 104sq., qui recte censent et hic et in uu. 9-10 elegiae XI huius libri uocatiuum improprie cum accusatiuo consentire prouecta Δ ut te praeuectam felice Itali 21 de te] dirae V² : taedae ε, prob. Stroh 38; sed coniugii notio ab hac elegia prorsus aliena est 22 uita] tuta A F (corr. F⁴) P Δ : uicta P² : uincta uel iuncta V² : multa Keil lumine ω, corr. ε uera Passerat : acerba Scaliger; sed cf. *Quid. met.* 9,203 moturaque duos uerba queror silices loquar Δ (corr. V² Vo²); uide app. ad I,3,43 et Vahlen *Ges. Phil. Schr.* II 143 23 deficiat A F (corr. F⁴) P 25 autariis ε : Autaricis Volscus (cf. Strab. 7,11) : Artacii Palmer (prob. Housman *Class. Pap.* 294, coll. Apoll. Rhod. 1,957) dicam atracii licet haec Δ 26 hilleis P (prob. Haupt *Opusc.* III 332; cf. Apoll. Rhod. 4,522sq., Steph. Byz. p. 647,20 Meineke) : ellaeis Δ : eleis ε 27 nou. eleg. incip. Lipsius; cf. etiam Vahlen *Ges. Phil. Schr.* II 144, Stroh 35sq. : priori coniungunt nonnulli interpretes, inter quos memorare sufficiat Wilamowitz *Hell. Dicht.* II 235, Cairns *Gen. Comp.* 150-152, Pasoli *AAPropSub* 1977, 101sq. erat N A F; sed cf. Leo *Kl. Schr.* II 185, Neumann 89 29 deponas Heinsius

illi carus ego et per me carissima Roma
 dicitur, et sine me dulcia regna negat.
 illa uel angusto mecum requiescere lecto
 et quocumque modo maluit esse mea,
 quam sibi dotatae regnum uetus Hippodamiae 35
 et quas Elis opes ante pararat equis.
 quamuis magna daret, quamuis maiora daturus,
 non tamen illa meos fugit auara sinus.
 hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
 sed potui blandi carminis obsequio. 40
 sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo,
 quis ego fretus amo: Cynthia rara mea est!
 nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:
 siue dies seu nox uenērit, illa mea est!
 nec mihi riuallis certos subducit amores: 45
 ista meam norit gloria canitiem.

9

Dicebam tibi uenturos, irrisor, amores,
 nec tibi perpetuo libera uerba fore:

38 amara A F V² 43 palmis Scaliger; quod adinet ad con-
 tingere i. q. pedibus obterere cf. Cels. 8,20; de hyperbole uide
 Kroll Stud. 270sq., Otto Sprichw. 63 (s. u. caelum) 44 siue ...
 siue N A F P 45 certos in ras. P V: summus A F (corr. F⁴):
 somnus D; iunctura certi amores hic idem ualet ac fidelis
 amata: de uoce amor = homo amatus uel mulier amata cf.
 ThLL I 1970,9sq.; de adiectiuo certus = fidelis cf. I,13,6;
 I,19,24; 2,24,36; 2,34,11; ThLL III 923,28sq. subducet F⁴,
 prob. Rothstein propter u. 27 hic erit; hic tamen subducit pro
 subduxit usurpatur; cf. Jacoby Kl. Schr. II 213 46 iusta Post-
 gate; ista ... canitiem idem ualet atque istam gloriam mea ca-
 nities norit, cum exquisita hypallage

9 ad emulum irrisorem A F (poticum add. F³) P D V

ecce iaces supplexque uenis ad iura puellae
 et tibi nunc quaeuis imperat empti modo.
 non me Chaoniae uincant in amore columbae 5
 dicere, quos iuuenes quaeque puella domet.
 me dolor et lacrimae merito fecere peritum:
 atque utinam posito dicar amore rudis!
 quid tibi nunc misero prodest graue dicere carmen
 aut Amphioniae moenia flere lyrae? 10
 plus in amore ualet Mimnermi uersus Homero:
 carmina mansuetus lenia quaerit Amor.
 i quaeso et tristis istos compone libellos,
 et cane quod quaeuis nosse puella uelit!
 quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu 15
 insanus medio flumine quaeris aquam.
 necdum etiam palles, uero nec tangeris igni:
 haec est uenturi prima fauilla mali.
 tum magis Armenias cupies accedere tigris
 et magis infernae uincula nosse rotae, 20

4 quouis ε: quiduis Postgate dub.; sed cf. Pasoli Monob. 60, qui
 recte interpretatur: 'et tibi mulier modo empti omnia imperat'
 5 columbae] puellae F, corr. F⁴; cf. enim de Chaoniis columbis
 Seru. ad Verg. Aen. 9,13, Mythogr. Vat. 2,227 11 numerini Δ
 (corr. D²): mimnermi ex corr. P²: mimnermus ex corr. F⁴
 homeri Δ (corr. D² V²); uox Homero pro Homeri carminibus
 usurpatur; de comparatione compendiarum cf. H.-Sz. 826 12
 leuia N F Δ; sed cf. Ouid. am. 2,1,21sq. blanditias elegosque
 leuis, mea tela, resumpsit: / molliuerunt duras lenia uerba fo-
 res et Prinz WSt 54 (1936) 91sq., qui Callim. frg. I,11sq. Pf. α
 κατὰ λεπτόν [ρήσιες confert 13 sepone Heinsius: compesce
 uel iam pone Baehrens; quod adinet tamen ad componere i. q.
 condere, cf. Cic. fam. 16,20, Varr. ling. 5,182, Ouid. Pont.
 I,1,11, Petron. 67,2, Paul. ap. Fest. 249,22 L. 14 caue V² 15
 quod P (corr. P²) Δ F⁴; sed cf. Williams JRS 47 (1957) 242 16
 insanis N (corr. N²) 19 tunc F attingere V²; de uerbo
 accedere transitiue usurpato cf. ThLL I 271,44sq. 20 noscere
 uincula Δ

quam pueri totiens arcum sentire medullis
 et nihil iratae posse negare tuae.
 nullus Amor cuiquam facilis ita praebuit alas,
 ut non alterna presserit ille manu.
 nec te decipiat, quod sit satis illa parata: 25
 acrius illa subit, Pontice, si qua tua est;
 quippe ubi non liceat uacuos seducere ocellos,
 nec uigilare alio nomine cedat Amor.
 qui non ante patet, donec manus attigit ossa:
 quisquis es, assiduas a fuge blanditias! 30
 illis et silices et possint cedere quercus,
 nedum tu possis, spiritus iste leuis.

22 ingratae Lachmann; sed cf. Paul. Silent. AP 5,300,6 ἡ δὲ κατ' ὀφθαλμῶν ἄρσενά μὴνιν ἔχει 23 alas] aures Fontein; distichon difficillimum recte interpretatus est Vulpius: "finge tibi puerum aliquem qui auiculam manu tenet filo impeditam. Is, ut de illa sibi ludum faciat, modo paulum excurrere et euolare sinit, modo filum retrahit et miseram manu premit. Simillimum est Cupidinis ludicrum de capto et irretito amatore": cf. enim Aristoph. nub. 761-763, Schol. nub. 763 p. 116 Dübner 24 alternas (sc. alas) Struve; sed alterna manu idem ualeat ac modo laeua, modo dextera: cf. 1,11,12 alternae facilis cedere lympham manu, 4,7,18 alterna ueniens in tua colla manu 26 ille Hetzel; sed cf. Rothstein I 121 27 subducere Δ; intellege tamen: non licet seducere ab ea ocellos ita ut uacui sint amore 28 cedit A F (corr. F⁴) P nomine, cedat Amor? dist. Broukhusius; sed de uerbo cedere (i. q. concedere) + inf. cf. ThLL III 728,40sq., Haupt ap. Belger 91 29 malus ζ (et Modius); cf. Theocr. 3,17, Ouid. her. 15 (16), 275sq. 30 aufuge ω, corr. Bolt; nam aufugere + acc. tantummodo ap. Cod. Iustin. 3,23,1 legitur 31 salices A F P Δ (corr. P² V²); de prouerbio cf. Plaut. Poen. 290, Cic. de orat. 1,245, Ouid. am. 3,7,57sq., CLE 952 B. et possunt Δ; sed cf. 2,3,10 lilia non domina sint magis alba mea et Neumann 78 ("Propertius quotiens gradationis causa quasi παράδοξον inducit, modum adhibet potentialem") 32 necdum A F P Δ (corr. F⁴ P² V²); cf. Hor. ars 68sq., Liu. 9,18,4, Pascucci SIFC 33 (1961) 145 possis: spiritus dist. Phillimore; sed cf. Vahlen Opusc. II 253, qui recte interpretatur "tu qui leuis es ut spiritus"

quare, si pudor est, quam primum errata fatere:
 dicere quo pereas saepe in amore leuat.

10

O iucunda quies, primo cum testis amori
 affueram uestris conscius in lacrimis!
 o noctem meminisse mihi iucunda uoluptas,
 o quotiens uotis illa uocanda meis,
 cum te complexa morientem, Galle, puella 5
 uidimus et longa ducere uerba mora!
 quamuis labentis premeret mihi somnus ocellos
 et mediis caelo Luna ruberet equis,
 non tamen a uestro potui secedere lusu:
 tantus in alternis uocibus ardor erat. 10
 sed quoniam non es ueritus conc(r)edere nobis,
 accipe commissae munera laetitiae:
 non solum uestros didici reticere dolores,
 est quiddam in nobis maius, amice, fide.

34 qua (sc. puella) Dousa fil.; sed quo neutri generis ablatiuus est, ut recte censent Sh. Bailey 29, Strohm 30 adn. 67 leuat] iuuat ζ

10 ad gallum A F P D V 1 quies] dies Graeuus; sed quies hic idem ualeat ac nox: cf. 1,14,9sq. nam siue optatam mecum trahit illa quietem, / seu facili totum ducit amore diem 6 in longam ... moram ζ; sed de longa mora pro lente cf. Sall. hist. 1,142 M., Ouid. Pont. 4,8,88, Liu. 21,35,3 10 alterius A F P (corr. F⁴ P²) 11 concedere ω (corr. V²), probb. Rothstein I 124, qui laetitiam simul audit, et Pasoli Monob. 73, qui concedere i. q. officiose agere cum aliquo interpretatur; cf. quae disputauit ap. SIFC 44 (1972) 195sq. De concedere absolute usurpato pro credere cf. Plaut. Asin. 80, Trin. 957 13 furores Volscus: calores Guyet; tradita def. Löfstedt Verm. Stud. 115sq. 14 quidam N V Vo (corr. N² V²)

possum ego diuersos iterum coniungere amantis 15
 et dominae tardas possum aperire fores;
 et possum alterius curas sanare recentis,
 nec leuis in uerbis est medicina meis.
 Cynthia me docuit semper quaecumque petenda
 quaeque cauenda forent: non nihil egit Amor. 20
 tu caue ne tristi cupias pugnare puellae,
 neue superba loqui, neue tacere diu;
 neu, si quid petiit, ingrata fronte negaris,
 neu tibi pro uano uerba benigna cadant.
 irritata uenit, quando contemnitur illa, 25
 nec meminit iustas ponere laesa minas:
 at quo sis humilis magis et subiectus amori,
 hoc magis effectu saepe fruire bono.
 is poterit felix una remanere puella,
 qui numquam uacuo pectore liber erit. 30

15 diuisos ζ ; *sed* diuersos *i. q.* discordes *Hor. serm. 1,5,29, Pa-*
neg. in Mess. 45, Liu. 4,55,8, Lucan. 6,783, Tac. ann. 6,22
tuentur 16 *surdas Heinsius; sed tardus apte conuenit ianuae,*
quae amantem non admittit: cf. ThLL VI 1061,7sq. 19 *qua-*
cumque A F (corr. F⁴): quae cuique L. Müller, coll. Madvig Fin.
710: "quaecumque interrogatiuum non esse, nec dici Latine, ui-
debo quaecumque sint notitiae, pueri norunt"; cf. tamen exem-
pula a Pasoli Monob. 73-77 allata (Lucr. 6,85, Varr. ling. 10,72,
Manil. 2,745sq., Priap. 68,31, Vitr. 9,6,3) 20 *eget F (corr. F⁴):*
eger P 23 *irata Burman: rugata Haupt; sed de adiectiuo*
ingratus i. q. στῆνός Sh. Bailey 31 confert Plin. n. h. 32,39,
Suet. Tib. 68,3; adde Ouid. hal. 103, Plin. n. h. 16,229; 37,128
25 irritatura A F P (corr. P²) 28 *effecto ω (probb. Lachmann*
48 et Pasoli Monob. 77, qui effecto pro adiectiuo, bono pro sub-
stantiuo interpretatur): affecto F⁴, corr. ζ ; cf. enim 3,23,9sq.
semper et effectus promeruere bonos aliaque eiusdem iuncturae
exempla ap. ThLL V 2,134,10sq.

11

Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Bais,
 qua iacet Herculeis semita litoribus,
 et modo Thesproti mirantem subdita regno
 proxima Misenis aequora nobilibus,
 nostri cura subit memores a! ducere noctes? 5
 ecquis in extremo restat amore locus?
 an te nescio quis simulatis ignibus hostis
 sustulit e nostris, Cynthia, carminibus?
 atque utinam mage te, remis confisa minutis,
 paruula Lucrina cumba moretur aqua, 10
 aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
 alternae facilis cedere lymph a manu,
 quam uacet alterius blandos audire susurros
 molliter in tacito litore compositam,
 ut solet amota labi custode puella, 15
 perfida communis nec meminisse deos:

11 *ad cynthiam A F D V: ad cinthiam reuocatoria a balneis*
baiarum P 1 *et quid N A F Δ (corr. F⁴ V²); de nexu ecquid*
... an pro utrum ... an cf. Ouid. met. 8,133sq., Pont. 2,10,1-5,
epist. Sapph. 1-4, Liu. 4,40,8 4 *proxima] et modo ζ ; sed cf.*
Sandbach CIR 52 (1938) 212, qui modo i. q. nuper interpretatur
et sic uerba disponit: et aequora modo subdita regno Thesproti
mirantem proxima Mysenis misterii F (miscenis F⁴) D 5
adducere ω (prob. Camps I 70), corr. Scaliger; cf. ThLL V
1,2152,28sq. 6 *et quis A F Δ (corr. F⁴ V²) ecquid ... amare*
loco Kraffert; sic intellege: ecquis locus mihi restat in extremo
tuo amore (i. e. in extremo angulo amoris tui) in externo
Passerat; sed cf. ThLL V 2,1997,33sq. 7 *uocibus P (corr. P²)*
10 moretur] moueret V² 11 *teutantis N Δ F⁴: tuetantis A F:*
metantis P V² in mg.: teutantis V², corr. Scaliger; cf. Philipp
RE V A 1 (1934) 1164 15-16 *post 8 transt. Housman* 15
amoto P Δ , prob. Housman Class. Pap. 284; sed cf. AP 5,106.
262. 289. 294, ubi de anu puellam custodiente sermo est

non quia perspecta non es mihi cognita fama,
 sed quod in hac omnis parte timetur amor.
 ignoscas igitur, si quid tibi triste libelli
 attulerint nostri: culpa timoris erit. 20
 an mihi nunc maior carae custodia matris?
 aut sine te uitae cura sit ulla meae?
 tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
 omnia tu nostrae tempora laetitiae.
 seu tristis ueniam seu contra laetus amicis, 25
 quicquid ero, dicam 'Cynthia causa fuit.'
 tu modo quam primum corruptas desere Baias:
 multis ista dabunt litora discidium,
 litora quae fuerant castis inimica puellis:
 a pereant Baiae, crimen Amoris, aquae! 30

17 perfecta V²; *sed de perspecta i. q. probata, spectata cf. Cic. off. 1,149* eos autem quorum uita perspecta in rebus honestis atque magnis est ... obseruare et colere debemus est DV (corr. V²) 18 ueretur Lachmann: tenetur Hosius dub.; *distichon multis modis interpretati sunt uiri docti: mea sententia recte iudicauerunt Leo Kl. Schr. II 188, Williams JRSt 47 (1957) 243; cf. etiam Pasoli Prom. 4 (1978) 109-114* 20 ante nostri dist. NFD: cf. tamen Havet Not. crit. 14sq. 21 ah Lachmann; *sed cf. Leo Kl. Schr. II 188* nunc] non ω (probb. Rothstein I 133 et Pasoli Monob. 83, quorum sententia maior carae custodia matris idem est atque custodia maior quam custodia carae matris; *sed eiusmodi ellipsis exempla apud Propertium desunt*); corr. Beck: nunc eandem habet uim atque in 1,6,1 (cf. app. ad loc.) 22 aut] an Δ (corr. V²): haud ζ: ut Burman 28 dabant Vo²; *sed de futuro gnomico cf. Wackernagel Vorles. I 206, H.-Sz. 310* 29 fuerunt Scaliger; *sed Sh. Bailey 36sq. ppf. fabulosa tempora significare recte censet*

12

Quid mihi desidia non cessas fingere crimen,
 quod faciat nobis, Pontice, Roma moram?
 tam multa illa meo diuisa est milia lecto,
 quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano;
 nec mihi consuetos amplexu nutrit amores 5
 Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.
 olim gratus eram: non illo tempore cuiquam
 contigit ut simili posset amare fide.
 inuidiae fuimus: num me deus obruit? an quae
 lecta Prometheis diuidit herba iugis? 10
 non sum ego qui fuero: mutat uia longa puellas.
 quantus in exiguo tempore fugit amor!

12 priori coniung. ω: nouam elegiam indic. N² et P rubricator, qui epistola ad improperatorem desidia add. in mg. 2 quid Δ (corr. D² V²) facias Sh. Bailey Pontice] conscia ω: Cynthia ζ; corr. Kraffert; cf. Wilamowitz Kl. Schr. IV 565, Leo Kl. Schr. II 189; cum hic tantum, in elegiarum libro primo, Propertius neminem alloquatur apostropheque ad Romam (si conscia Roma cum Palmer pro uocatio habeamus), qua Romani scriptores tantummodo sollemniter utuntur, ualde improbabilis sit, coniecturam a Kraffert propositam recepi 4 quanta Heinsius; *sed cf. Leo Plaut. Forsch. 311, K.-St. II 458sq.* uento DV (corr. D² V²) 7 non ullo ζ (et Heinsius) 8 possit Δ 9 sumus AP (corr. P²) num] non NAF Δ: nunc P; corr. F⁴ V²; cf. Sh. Bailey ClQ 47 (1953) 124, cuius sententia num idem ualet atque οὐ πού, οὐ τί πού; cf. 2,28,9; 3,6,3; 4,3,23sq. et de nexu num ... an Hand Tursell. IV 322, H.-Sz. 466; cf. etiam O. Skutsch ClQ 67 (1973) 322 an quae] an quem AFP Δ (corr. F⁴ V² Vo²); quae = aliqua; eadem clausula inuenitur apud Ps. Verg. Catal. 11,1 10 diuitis AFP (corr. F⁴ P²): diuidis Postgate 11 quod Burman, coll. Ouid. trist. 3,11,25 non sum ego quod fuero: *sed cf. Cic. fam. 7,3,4* uetus est enim, ubi non sis qui fueris, non esse cur uelis uiuere, Maximian. eleg. 1,5 non sum ego qui fuero, Buecheler RhM 11 (1857) 511 uia longa: puellae Kraffert

nunc primum longas solus cognoscere noctes
 cogor et ipse meis auribus esse grauis.
 felix, qui potuit praesenti flere puellae 15
 (non nihil aspersis gaudet Amor lacrimis),
 aut si despectus potuit mutare calores
 (sunt quoque translato gaudia seruitio).
 mi neque amare aliam neque ab hac desistere fas est:
 Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit. 20

13

Tu, quod saepe soles, nostro laetabere casu,
 Galle, quod abrepto solus amore uacem.
 at non ipse tuas imitabor, perfide, uoces:
 fallere te numquam, Galle, puella uelit.
 dum tibi deceptis augetur fama puellis, 5
 certus et in nullo quaeris amore moram,

16 a! sparsis *Heinsius* : aspersus *Palmer* : abstersis *Garrod*; *sed de lacrimis quae puellae duritiam frangunt cf. Tib. 1,4,71sq., Ouid. ars 1,659sq.* 17 at si ς : aut qui *Heinsius*; *sed cf. 2,24 c,47sq.* despectos ς colores N Δ (*corr. N² V²*); *sed de uoce calor de amore dicta cf. ThLL III 182,25sq.* 19 dissistere N A : discedere Δ : desciscere *Heinsius*; *sed cf. 2,20,35sq.* hoc mihi perpetuo ius est, quod solus amator / nec cito desisto nec temere incipio, *Plaut. Men. 77* quid ille autem abs te iratus destitit

13 ad gallum A F D V 3 mutabor A F (*corr. F³*) 5 fama] forma A F P (*corr. P²*); iunge tamen deceptis puellis cum fama 6 moram] uiam Δ (*coll. fortasse 1,1,18*), *corr. D² V²*; *constructione ἀπὸ κοινοῦ utitur Propertius*: certus (*i. q. fidus*; *cf. ThLL III 923,44sq.*) in nullo amore, in nullo amore quaeris moram, *i. e. - ut recte interpretatus est Beroaldus - "multarum gaudes amoribus et nullum uere amas"*

perditus in quadam tardis pallescere curis
 incipis, et primo lapsus abire gradu.
 haec erit illarum contempti poena doloris:
 multarum miseras exiget una uices. 10
 haec tibi uulgaris istos compescet amores,
 nec noua quaerendo semper amicus eris.
 haec ego non rumore malo, non augure doctus;
 uidi ego: me quaeso teste negare potes?
 uidi ego te toto uinctum languescere collo 15
 et flere iniectis, Galle, diu manibus
 et cupere optatis animam deponere labris
 et quae deinde meus celat, amice, pudor.

7 perditus in ras. P² : queritis A F (*corr. F⁴*) : "perditi dicuntur qui uehementissime amant" (*Pichon Ind. uerb. amat. 230*); *cf. Catull. 64,70; Verg. buc. 2,58sq., Aen. 4,541; Ouid. rem. 533* 8 firmo Barber lapsis A F P (*corr. F⁴ P²*) adire ω , *corr. V²*; *de amante, qui primo amoris uiae gradu labitur, cogitat Propertius; de abire = labi cf. Sh. Bailey 39* 9 haec] nec D V (*corr. D³ V²*) : non Vo; *sic interpretor*: haec (*sc. puella*) erat illarum poena contempti doloris; a uoce poena duo genet., alter subiectiuus, alter obiectiuus, pendent: *cf. H.-Sz. 66sq.* contenti A F (*corr. F⁴*) P V² 10 uoces F 11 haec] nec A F P Δ (*corr. F⁴ D³ V²*) componet A F P Δ (*corr. F⁴ D³ V²*); *sed compescet idem ualet ac finem faciet; cf. ThLL III 2062,27sq.* 12 iniquus Guyet : inicus Housman; intellege nec noua quaerendo illi semper amicus (= ἀεὶ φίλος) eris 13 ego om. N F (*add. N² F⁴*); *sed cf. Callim. frg. 384,47sq. Pf. τοῦτο μὲν ἐξ ἄλλων ἐκλυον ἱρὸν ἐγὼ, / κεῖνο γὰρ μὴν ἴδον αὐτός* rumore, malo *dist. N, prob. Rothstein; quod iure refellit Haupt Opusc. II 103, cuius sententia "non malo augure dicendum esset, sed fallaci" malo] aio Haupt; sed uerbum dicendi non admittit Callimachi locus laudatus, quem imitatur Propertius* augere N (*corr. N²*) A F P 16 iniectis N : in lectis A F P V² : in iectis F⁴; intellege iniectis puellae collo *et cf. Catull. 35,10* quamuis ... puella ... manus ... collo / ambas iniciens roget morari 17 uerbis ω , *corr. codd. Passeratii; celeberrimum enim τόπον hic habes, de quo cf. AP 5,14,3sq.; 5,78,1sq.; 5,171,3sq.; 5,197,5sq.; Herond. 3,3sq.*

non ego complexus potui diducere uestros:
 tantus erat demens inter utrosque furor. 20
 non sic Haemonio Salmonida mixtus Enipeo
 Taenarius facili pressit amore deus,
 nec sic caelestem flagrans amor Herculis Heben
 sensit ab Oetaeis gaudia prima rogis. 25
 una dies omnis potuit praecurrere amantis:
 nam tibi non tepidas subdidit illa faces,
 nec tibi praeteritos passa est succedere fastus,
 nec sinet abduci: te tuus ardor aget.
 nec mirum, cum sit loue dignae proxima Leda
 et Ledaie partu gratior, una tribus; 30
 illa sit Inachiis et blandior heroinis,
 illa suis uerbis cogat amare Iouem.
 tu uero quoniam semel es periturus amore,
 utere: non alio limine dignus eras.

21 en ipe A F (corr. F⁴) : en ipeo P *ex corr.* 24 ab Oetaeis] in (a)eth(a)eis N A V F³ : in oetheis D Vo : in ethereis P : me theis F, corr. Scaliger rogis] iugis ω, corr. Schrader; tradita a Beroaldo probantur ("in Oeta monte combustus factus est deus et maritus Hebes"): Hercules tamen Heben in matrimonium duxit in Olympo, ut testatur Hes. Theog. 950-953, cum contra in Oeta monte combustus sit in aetheriis ... locis Enk 25 amores Lachmann; sed recte interpretatur Hertzberg 50: "tu una hac die omnes superare amantes potuisti" 28 adduci N A F P (corr. F⁴ P²); intellege tamen abduci a se alterius puellae amore 29 dignae] digna et ω, corr. Heinsius; cf. enim Lachmann 61 ("sed ita dignam loue puellam frustra narrat, cum sequatur: illa suis uerbis cogat amare Iouem") et Haupt Opusc. I 104 ("non fuit enim tam pauperis ingenii Propertius ut nimis similia ita coniuget"); de epitheto loue digna Ledaie tributo cf. Apoll. Rhod. I, 146-150 30 e partu V² 32 amore A F (corr. F⁴) P 33 tu] tum D tu, uero ... amore, utere dist. Richmond; sed tu uero idem est atque at tu; qua formula Propertius saepe utitur in elegiae fine 34 urere ζ (propter es periturus amore); sed cf.

qui tibi sit, felix quoniam nouus incidit, error; 35
 et quodcumque uoles, una sit ista tibi.

14

Tu licet abiectus Tiberina molliter unda
 Lesbia Mentoreo uina bibas opere
 et modo tam celeres mireris currere lintres
 et modo tam tardas funibus ire ratis;
 et nemus omne satas intendat uertice siluas, 5
 urgetur quantis Caucasus arboribus;
 non tamen ista meo ualeant contendere amori:
 nescit Amor magnis cedere diuitiis.
 nam siue optatam mecum trahit illa quietem,
 seu facili totum ducit amore diem, 10

4,5,59sq. dum uernat sanguis, dum rugis integer annus, / utere, Tib. I, 5, 75 nescio quid furtiuus amor parat. Vtere quaeso, I, 8, 47sq. at tu dum primi floret tibi temporis aetas / utere: non tardo labitur illa pede lumine F P V D² (corr. F⁴ V²) 35 quae ω : haec Heinsius, corr. Palmer sit, felix dist. Lachmann incidit, error dist. Palmer 36 quocumque N A F P : quaecumque Δ : quocumque Fruter : quamcumque Postgate dub., corr. ζ; cf. I, 15, 32 sis quodcumque uoles, non aliena tamen

14 ad diuitem A P D V : ad mitem F 3 iam A F P 4 iam ... finibus A F P 5 omne] unde Lachmann, "quod (nemus omne) sit suspensum a mireris ... Nec satam siluam faciebat nemus, sed siluam nemus satum": uide contra Hertzberg 52 ("nemus omne est totum, quod circumspicis nemus, et aptum est ad magnitudinem ambitus significandam") et de nexu nemus omne Verg. buc. 6, 11; 7, 59; georg. 2, 429; Aen. 12, 722 sacras ζ ut tendat Rothstein, prob. Prinz WSt 54 (1936) 96sq. : tibi tendat Barber; sed cf. R. Reitzenstein Herm. 31 (1896) 207sq. 6 quantus A F P (corr. P²) Δ

tum mihi Pactoli ueniunt sub tecta liquores
 et legitur Rubris gemma sub aequoribus;
 tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges:
 quae maneant, dum me fata perire uolent!
 nam quis diuitiis aduerso gaudet Amore? 15
 nulla mihi tristi praemia sint Venere!
 illa potest magnas heroum infringere uires,
 illa etiam duris mentibus esse dolor:
 illa neque Arabium metuit transcendere limen
 nec timet ostrino, Tulle, subire toro 20
 et miserum toto iuuenem uersare cubili:
 quid releuant uariis serica textilibus?
 quae mihi dum placata aderit, non ulla uerebor
 regna uel Alcinoi munera despicere.

15

Saepe ego multa tuae leuitatis dura timebam,
 hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
 aspice me quanto rapiat fortuna periclo!
 tu tamen in nostro lenta timore uenis;

11 ueniant A F (corr. F⁴) 16 sunt A F (corr. F³) P Δ 19
 * limen om. A F (add. F⁴) P (add. ead. man.) 20 nec] hec N
 21 iuuenem . . . miserum P 22 releuent A F P Δ (corr. F⁴ V²)
 23 placida affuerit V² non nulla F 24 uel] nec ζ: aut L.
 Müller; iunge tamen non cum uerebor (non uerebor ulla regna
 uel Alcinoi munera despicere) et de uel cum particula negatiua
 coniuncto cf. Tib. 1,9,59sq. nec lasciua soror dicatur plura bi-
 bisse / pocula uel plures emeruisse uiros, Spandau *Serm. Prop.*
 12, H.-Sz. 499sq.

15 ad cynthiam (ci-) A F D V: ad cinthiam de leuitate P 1
 dura] iura P in ras.; de nexu dura + gen. cf. Liu. 33,11,6; Sil.
 3,636 (= 12,110); 7,3 2 hac] fac N (sed litt. f pinxit rubricator)

et potes hesternis manibus componere crinis 5
 et longa faciem quaerere desidia,
 nec minus Eois pectus uariare lapillis,
 ut formosa nouo quae parat ire uiro.
 at non sic Ithaci digressu mota Calypso
 desertis olim fleuerat aequoribus: 10
 multos illa dies incomptis maesta capillis
 sederat, iniusto multa locuta salo,
 et quamuis numquam post haec uisura, dolebat
 illa tamen, longae conscia laetitiae. 14
 nec sic Aesoniden rapientibus anxia uentis 17
 Hypsipyle uacuo constitit in thalamo: 18
 Hypsipyle nullos post illos sensit amores, 19
 ut semel Haemonio tabuit hospitio. 20
 coniugis Euadne miseros elata per ignis 21
 occidit, Argiuae fama pudicitiae.
 Alpheisiboea suos ulta est pro coniuge fratres, 15
 sanguinis et cari uincula rupit amor. 16
 quarum nulla tuos potuit conuertere mores,
 tu quoque uti fieres nobilis historia.
 desine iam reuocare tuis periuria uerbis, 25
 Cynthia, et oblitos parce mouere deos;

5 externos F Δ (sed cf. Ouid. *ars* 3,153sq. et neglecta decet
 multas coma: saepe iacere / hesternam credas, illa repexa mo-
 dost): esternos V² 6 quere desidiam (desidia A²) A 7 Eois] et
 chois N: h(a)ec chois (choys) A F (hec *del. et* choys in ehoys
mut. F²): e Cois *Havet* 8 et A F (corr. F⁴) 9 et A F (corr. F⁴)
 P 11 multis F Δ (corr. F² V²) 12 sed erat Δ (corr. V²) 13
 posthac V²: post Vo 18 constitit] sederat V² 21 delata ζ: sed
 cf. Eur. *Suppl.* 1015-1017 ἐνθεν ὄρ- / μάσω τὰσδ' ἀπὸ πέτρας
 πη- / δήσασα πρὸς ἔσω et de efferre 'accedente ui celeritatis,
 i. q. praecipitare' (ThLL V 2,142,69) Liu. 3,61,9, Sen. *epist.* 40,7
 15-16 post u. 22 *transt.* Lachmann, post u. 20 Markland 25-26
 post u. 32 *transt.* Housman 25 nouam elegiam inc. Ribbeck;
 sed cf. quae fuse disputauit apud AttiAccadPropSubasio
 1977, 75sq. renouare Francius

audax a! nimium nostro dolitura periclo,
 si quid forte tibi durius inciderit!
 multa prius: uasto labentur flumina ponto,
 annus et inuersas duxerit ante uices, 30
 quam tua sub nostro mutetur pectore cura:
 sis quodcumque uoles, non aliena tamen.
 tam tibi ne uiles isti uideantur ocelli,
 per quos saepe mihi credita perfidia est!
 hos tu iurabas, si quid mentita fuisses, 35
 ut tibi suppositis exciderent manibus:
 et contra magnum potes hos attollere Solem,
 nec tremis admissae conscia nequitiae?
 quis te cogebat multos pallere colores
 et fletum inuitis ducere luminibus? 40
 quis ego nunc pereor, similis moniturus amantis
 'O nullis tutum credere blanditiis!'

28 si quod N A F (corr. F³) P; cf. *Caes. ciu.* 3,94,5 si quid durius acciderit 29 multa prius: sic dist. Rothstein : nulla prius Passerat : alta prius Burman : pulsa prius Wakefield, prob. Sh. Bailey 45sq. : simul audi tamen fient et cf. *Ps. Verg. Dirae* 7-9 (in adynato) multa prius fient, quam non mea libera auena / montibus et siluis dicat tua facta, Lycurge, / impia; cf. *Fraenkel JRS* 56 (1966) 144 uasto] retro Burman 30 inuersis A F (corr. F⁴) uices] uias F 33 tam tibi] quam tibi ω (propter quam in u. 31 initio) : nam tibi ζ : tam mihi Madvig : iam tibi Leo ap. *Ites* 15, corr. Palmer; cf. *R. Reitzenstein Herm.* 31 (1896) 206sq. 35 quod A F P 36 exciderint Δ 38 amisse F (corr. F²) 39 quid Δ, corr. V² 41 moriturus N, corr. ead. man., ut uid. 42 non ullis Wyngaarden : o nullist Palmer; intellege tamen non est tutum ullis blanditiis credere

16

'Quae fueram magnis olim patefacta triumphis,
 ianua Tarpeiae nota pudicitiae,
 cuius inaurati celebrarunt limina currus,
 captorum lacrimis umida supplicibus,
 nunc ego, nocturnis potorum saucia rixis, 5
 pulsata indignis saepe queror manibus
 et mihi non desunt turpes pendere corollae
 semper et exclusi[s] signa iacere faces.
 nec possum infamis dominae defendere noctes,
 nobilis obscenis tradita carminibus; 10
 nec tamen illa suae reuocatur parcere famae,
 turpior et saeculi uiuere luxuria.
 haec inter grauib[us] cogor deflere querelis
 supplicis a longis tristior excubiis.

16 uerba ianuae conquerentis A P D V 2 patriciae uel perpetuae *Phillimore* : tam priscas *Barber*; hunc uersum multis modis interpretati sunt uiri docti; ego censeo recte uidisse *Deubner Ph* 95 (1943) 28-30 3 lumina A F P (corr. P²) 7-8 post u. 10 transt. *Phillimore* 8 exclusis ω (def. *Tyrrell Hermath.* 3 [1875] 118), corr. ζ; tota res illustratur a *Pers.* 5,164-166 an rem patriam rumore sinistro / limen ad obscenum frangam, dum Chrysidis udas / ebrius ante fores extincta cum face canto tenere Δ, corr. V² 9 possim A F (corr. F⁴) 11-12 del. olim *Lachmann*, tum post u. 48 transt. : post u. 8 transt. *Baehrens*, sed cf. *R. Reitzenstein Herm.* 31 (1896) 205 12 turpior et] purior et *Fontein* : turpi nec *Voss* : turpior it *Haupt* : turpius et *Postgate*; sed cf. *Sh. Bailey* 47, qui sic intellegit: tamen illa non reuocatur (sc. a uitiiis) ut parcat suae famae, nec reuocatur ut non uiuat (= τοῦ μη ζῆν) turpior saeculi luxuria. De zeugmate cf. *H.-Sz.* 831-834 et *Housman ad Lucan.* 4,316-318 13 has ω, corr. codd. *Passeratii*; pronomem neutri generis omnia, quae ianuam laedunt (i. e. rixae, amantium corollae, exclusorum faces), designat grauius ... querelas *Scaliger*; intellege: cogor deflere grauib[us] querelis supplicis, tristior a longis eius excubiis 14 a! longas ... excubias *Broukhuisius*; sed cf. *K.-St.* 1 495 tritior ζ

ille meos numquam patitur requiescere postis, 15
 arguta referens carmina blanditia:
 "Ianua uel domina penitus crudelior ipsa,
 quid mihi tam duris clausa taces foribus?
 cur numquam reserata meos admittis amores,
 nescia furtiuas reddere mota preces? 20
 nullane finis erit nostro concessa dolori,
 turpis et in tepido limine somnus erit?
 me mediae noctes, me sidera plena iacentem,
 frigidaque Eoo me dolet aura gelu:
 tu sola humanos numquam miserata dolores 25
 respondes tacitis mutua cardinibus.
 o utinam traiecta caua mea uocula rima
 percussas dominae uertat in auriculas!
 sit licet et saxo patientior illa Sicano,
 sit licet et ferro durior et chalybe, 30
 non tamen illa suos poterit compescere ocellos,
 surget et inuitis spiritus in lacrimis.
 nunc iacet alterius felici nixa lacerto,
 at mea nocturno uerba cadunt Zephyro.
 sed tu sola mei tu maxima causa doloris, 35
 uicta meis numquam, ianua, muneribus,

18 tam] iam N A F P 22 trepido *Itali*; sed cf. *Callim. AP* 5,23,2
 οὕτως ὑπνώσας, Κωνόπιον, ὥς ἐμὲ ποιεῖς / κοιμᾶσθαι ψυχ-
 ροῖς τοῖσδε παρὰ προθύροις, *Catull.* 63,25 mihi ianuae
 frequentes, mihi limina tepida 23 mediae] madidae *Paley*
 mediae noctis (sc. sidera) *Housman, coll. Ouid. am.* 1,6,44 per-
 uigil in mediae sidera noctis eras; sed cf. *Löffstedt Synt.* I 33, qui
iuncturam q. e. μέσαι νύκτες apud Graecos scriptores confert
 plena] prona ζ : prima *Liuius*; sed, ut recte statuit *Gronovius*,
 "sidera plena dicuntur, cum caelum plenum est sideribus": cf.
exempla adiectiui q. e. plenus cum ui actiua a Löffstedt Coniect.
16sq. collecta 24 dolet] uidet V² 26 carminibus A P (corr.
 A² P²) 27 iacula A F P (corr. F⁴ P²) 29 sit silice et ζ; sed cf.
La Penna SIFC 26 (1952) 8sq. 33 nexa ζ : innixa *Heinsius* 34
 ac *Ayrmann* cadent V²

te non ulla meae laesit petulantia linguae,
 quae solet † irato dicere tota loco †
 ut me tam longa raucum patiari querela
 sollicitas triuio peruigilare moras. 40
 at tibi saepe nouo deduxi carmina uersu
 osculaque impressis nixa dedi gradibus.
 ante tuos quotiens uerti me, perfida, postis
 debitaque occultis uota tuli manibus!"
 haec ille et si quae miseri nouistis amantes, 45
 et matutinis obstrepat alitibus.
 sic ego nunc dominae uitis et semper amantis
 fletibus aeterna differor inuidia.'

17

Et merito, quoniam potui fugisse puellam,
 nunc ego desertas alloquor alcyonas,

38 iratus ζ : immerito *codd. Passeratii* : ingrato *Fruter* : ira dato
Phillimore tota] tuta uel uerba ζ : probra *Heinsius* : torta
Hertzberg : taetra *Jacob*; alii alia: tradita *deff. nonnulli*, tota
 = omnia interpretantes. sed exempla a *Wölfflin RhM* 37 (1882)
 107 et a *Löffstedt Verm. Stud.* 209 allata luculenter ostendunt hoc
 tantummodo in castrensi sermone aut in locutionibus temporali-
 bus inueniri posse; cf. etiam *Sh. Bailey* 48sq. Tota dicere = res
 cuiusvis generis dicere interpretatur *Pasoli Monob.* 111; sed to-
 tus = quicquid ante *Apuleium* numquam occurrit (cf. *H.-Sz.* 203)
 ioco ζ; irato loco *def. Rothstein, coll. Hor. sat.* 2,3,7; cf. tamen
Leo Kl. Schr. II 193 42 fixa *Graeuus*; intellege cum hypallage
 osculaque impressis gradibus nixus dedi 47 nunc] et A F : uel
 P et] uel P : nunc *Francius* 48 alterna *Markland, fort. recte*
 (cf. *Lachmann* 71: "lusus est, opinor, sed mehercule pulcher. Pro-
 pertius ipse, si rediret, acciperet"); cf. tamen *Rothstein* I 68
 deferor ω, corr. V²; de differre i. q. diffamare cf. I,4,21sq. et te
 circum omnis alias irata puellas / differet

17 ad cynthiam (ci-) A F P D V

nec mihi Cassiope solito uisura carinam
 omniaque ingrato litore uota cadunt.
 quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, uenti: 5
 aspice, quam saeuas increpat aura minas.
 nullane placatae ueniet Fortuna procellae?
 haecine parua meum funus harena teget?
 tu tamen in melius saeuas conuerte querelas:
 sat tibi sit poenae nox et iniqua uada. 10
 an poteris siccis mea fata reponere ocellis
 ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?
 a pereat, quicumque ratis et uela parauit
 primus et inuito gurgite fecit iter!
 nonne fuit leuius dominae peruincere mores 15
 (quamuis dura, tamen rara puella fuit),
 quam sic ignotis circumdata litora siluis
 cernere et optatos quaerere Tyndaridas?
 illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
 ultimus et posito staret amore lapis, 20

3 caliop(a)e F Vo Cassiopes statio Lachmann solitam
 Beroaldus : ex solito Graeuius : solidam Wyttenbach : solido
 Kräffert : saluo Richmond; sed cf. Pasoli Monob. 112, qui ut
 solito = ex solito tueatur, exempla affert, in quibus consuetu-
 dine idem ualet atque ex consuetudine; cf. etiam Sh. Bailey 48,
 qui recentioris Latinitatis exempla confert 5 aduersi Waarden-
 burgh, leoninum uersum improbens; cf. tamen 1,8,11 et Lach-
 mann 72 tibi om. N, sup. N² 6 increpat P Δ (corr. V²); sed
 indicatius defenditur a Verg. buc. 4,52; 5,67; Aen. 6,855sq.; cf.
 H.-Sz. 538 11 reposcere Baehrens; sed cf. Enk I 2,152 ("an
 poteris siccis oculis meos manes condere, cum mea ossa in tuum
 sinum colligere nequeas, i. e. poterisne siccis oculis meam um-
 bram tumulo condere inani?") 12 muta Barth 13 bella F :
 uella Vo 16 rara] cara V²; rara idem ualet ac singularis, unica
 18 optatas Δ, corr. V² 19 demum A : meum ex corr. P² : om. F
 in lac. 7 uel 8 litterarum peperissent A F P (corr. A² P²) :
 rupissent F³

illa meo caros donasset funere crinis,
 molliter et tenera poneret ossa rosa;
 illa meum extremo clamasset puluere nomen,
 ut mihi non ullo pondere terra foret.
 at uos, aequoreae formosa Doride natae, 25
 candida felici soluite uela choro:
 si quando uestras labens Amor attigit undas,
 mansuetis socio parcite litoribus.

18

Haec certe deserta loca et taciturna querenti,
 et uacuum Zephyri possidet aura nemus.
 hic licet occultos proferre impune dolores,
 si modo sola queant saxa tenere fidem.
 unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus? 5
 quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
 qui modo felices inter numerabar amantis,
 nunc in amore tuo cogor habere notam.
 quid tantum merui? quae te mihi carmina mutant?
 an noua tristitiae causa puella tuae? 10
 sic mihi te referas, leuis ut non altera nostro
 limine formosos intulit ulla pedes.
 quamuis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
 non ita saeua tamen uenerit ira mea,

21 meos caro V² 26 noto Δ; cf. Housman Class. Pap. 320 27
 om. F, suppl. F⁴ in mg.

18 ad cynthiam (ci-) A F P D V 1 tacitura V, corr. V² 2
 hic Guyet : nec Fontein 7 numerabar inter A F 9 quod te F,
 corr. F⁴ crimina c, probb. Leo Kl. Schr. II 189sq., Solmsen
 ClPh 57 (1962) 85; sed de magicis carminibus hic sermo est,
 propter quae Properti riuales Cynthiam a poeta abalienauit
 10 tue est P 12 firmos Δ, corr. V² ulla ex illa N

ut tibi sim merito semper furor et tua flendo 15
 lumina deiectionis turpia sint lacrimis.
 an quia parua damus mutato signa colore
 et non ulla meo clamat in ore fides?
 uos eritis testes, si quos habet arbor amores,
 fagus et Arcadio pinus amica deo. 20
 a quotiens teneras resonant mea uerba sub umbras,
 scribitur et uestris Cynthia corticibus!
 an tua quod peperit nobis iniuria curas?
 quae solum tacitis cognita sunt foribus.
 omnia consueui timidus perferre superbae 25
 iussa neque arguto facta dolore queri.
 pro quo, diuini fontes, et frigida rupes
 et datur inculto tramite dura quies;

16 delectis N V² : dilectis A F Δ : dillectis P, corr. P² 17 parua] rara Burman : parca Bosscha : praua Kästner calore A (corr. A²) P D³ V²; sed cf. Aristaen. ep. 1,10 p. 141,29-31 Hercher, ubi pallor magis magisque Aconti, amore pereuntis, uultum inficit, et Cairns CIR 83 (1969) 132sq.; quod adinet ad signa, de amoris signis hic agitur 18 non nulla N Δ : non illa P 19 ardor A F Δ (corr. D³ V²); cf. Aristaen. ep. 1,10 p. 142,1-3 Hercher ὃ φίλτατα δένδρα ... ἄρα κὰν ὅμιν ἐστὶν οὗτος ὁ ἔρως καὶ πίτυος τυχὸν ἡράσθη κυπάριττος ἢ ἄλλο φυτὸν ἐτέρου φυτοῦ et Cairns CIR 83 (1969) 132 20 amata Δ, coll. fortasse Ouid. trist. 3,1,42 an quia Leucadio semper amata deo est?; cf. tamen Claud. rapt. Pros. 2,108 quercus amica Ioui 21 teneras] uirides Guyet : uestras Koppiers 22 nostris A F V² : teneris Guyet; sed de mutato adiectiuorum ordine (tener enim melius cum corticibus congruit) cf. exempla a Wilamowitz Herakles II² 198 et a Leo Kl. Schr. II 175-178 allata 23-24 post u. 6 transt. Housman 23 ah (at Lipsius) tua quot s : an tua quae Scaliger; sed hic tertium crimen poeta propulsat: cf. u. 10 an ..., u. 17 an quia, quibus recte respondet an quod 27 di, uiui Itali : di magni Sh. Bailey dumosi montes Heinsius : di, nudi (niuei Lach-

et quodcumque meae possunt narrare querelae,
 cogor ad argutas dicere solus auis. 30
 sed qualiscumque es, resonent mihi 'Cynthia' siluae,
 nec deserta tuo nomine saxa uacent.

19

Non ego nunc tristis uereor, mea Cynthia, Manis,
 nec moror extremo debita fata rogo;
 sed ne forte tuo careat mihi funus amore,
 hic timor est ipsis durior exsequiis.
 non adeo leuiter nostris puer haesit ocellis, 5
 ut meus oblito puluis amore uacet.
 illic Phylacides iucundae coniugis heros
 non potuit caecis immemor esse locis,
 sed cupidus falsis attingere gaudia palmis
 Thessalus antiquam uenerat umbra domum. 10
 illic quidquid ero, semper tua dicar imago:
 traicit et fati litora magnus amor.

mann) montes Markland : mi nudi montes Postgate, alii alia: cf. tamen de fontium diuina natura Hom. Il. 11,726; Od. 10,350sq.; Apoll. Rhod. 1,1208; 3,165. 1203sq.; Theocr. 7,136sq.; 8,33; Verg. buc. 1,52

31 resonant A F P (corr. F⁴ P²); sed cf. Aristaen. ep. 1,10 p. 141,37-39 Hercher εἶθε, ὃ δένδρα, καὶ νοῦς ὅμιν γένοιτο καὶ φωνή, ὅπως ἂν εἶποιτε 'Κυδίπη καλή' tibi F, corr. F⁴ 32 uacent ex iacent N : uacant P (corr. P²)

19 ad cynthiam (ci-) A P D V 5 noster N A F Δ (corr. V²), probb. Leo Kl. Schr. II 190, Pasoli Monob. 121; non sine causa: cf. enim 1,1,33 nostra Venus, 1,7,16 nostros deos; sed uox ocellis nude posita ualde displicet 8-11 om. F 10 thessalis ... uerberat Δ, corr. V²; familiae Δ lectionem probat Leo Kl. Schr. II 185: si tamen Thessalis umbra subiecti uice fungatur, cupidus non habeat ad quod referatur; cf. Neumann 77

illic formosae ueniant chorus heroinae,
 quas dedit Argiuis Dardana praeda uiris;
 quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma 15
 gratior, et (Tellus hoc ita iusta sinat)
 quamuis te longae remorentur fata senectae,
 cara tamen lacrimis ossa futura meis.
 quae tu uiua mea possis sentire fauilla!
 tum mihi non ullo mors sit amara loco. 20
 quam uereor, ne te contempto, Cynthia, busto
 abstrahat a nostro puluere iniquus Amor,
 cogat et inuitam lacrimas siccare cadentis!
 flectitur assiduis certa puella minis.
 quare, dum licet, inter nos laetemur amantes: 25
 non satis est ullo tempore longus amor.

20

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore
 (id tibi ne uacuo defluat ex animo):

13 illuc V² ueniat Δ, corr. V² formosus ueniat Housman, qui Latine dici posse formosae heroinae, chorus negat, cum uoces chorus uel turba uel manus, appositiva ui praeditae, nusquam nude ponantur; cf. tamen Stat. Theb. 6,651-653 mox turba ruunt, duo gentes Achaeae, / tres Ephyreidae, Pisa satus unus, Acharnan / septimus. Intellege praeterea: illic chorus ueniant, formosae heroinae et de uerborum dispositione cf. Verg. georg. 4,246, Ouid. ars 2,415 15-17 om. F, add. F⁴ 16 (et... sinat) dist. Volscus : et (Tellus... sinat) dist. Leo; de parenthesi cf. 4,3,67-69, Fraenkel Kl. Beitr. I 74sq. 17 longe te NA : longeuae ε 19 uita Auratus quae tu uiua, mea possim sentire fauilla Richmond 22 e nostro ω : ei nostro ed. Ald. a. 1515 : heu nostro Hertzberg : ah! nostro Richmond, corr. ε : cf. ThLL I 199,58-63 23 cogat Δ, corr. V² inuitas Δ, corr. V²

20 ad gallum A F D : ad gallum. et ipsum monet exemplo yle rapti a nimphis P 1 nec A F : hec P F³

saepe imprudenti fortuna occurrit amanti:
 crudelis Minyis dixerit Ascanius.
 est tibi non infra speciem, non nomine dispar, 5
 Theiodamanteo proximus ardor Hylae:
 hunc tu, siue leges umbrosae flumina siluae,
 siue Aniena tuos tinxerit unda pedes,
 siue Gigantea spatia litoris ora,
 siue ubicumque uago fluminis hospitio, 10
 Nympharum semper cupidus defende rapinas
 (non minor Ausoniis est amor Adryasin);
 ne tibi si[n]t duros montes et frigida saxa,
 Galle, neque expertos semper adire lacus:

3 currit A F P (corr. F⁴ P²); de occurrere + dat. fere i. q. obtingere, contingere, accidere sim. (de rebus tam secundis quam aduersis) cf. ThLL IX 2,396,7sq. 4 nimius A F P V² ex corr. : minius Vo : minimus D : minus D³ (corr. P² V in mg.) dixerat A F P Δ³ 6 therodamant(h)eo N P D : thedoramanteo A F : therodomantheo V Vo : thiodamanteo ε, corr. cod. Ambros. H 46 sup. (et Butler) 7 nunc Δ (corr. V²) P² : huic Auratus; sed de anacolutho cf. H.-Sz. 730 umbrosae] Vmbrae sacra Hoefft : Vmbrae rate Richmond 8 am(o)ena A F P Δ (corr. V²); de adiectiuo Anienus cf. Verg. georg. 4,369, Tib. 2,5,69, Prop. 3,16,4, Stat. silu. 4,4,17 cinxerit Δ, corr. V² 9 Gigantei ε; prob. Sh. Bailey 57, cuius sententia epitheton, ad locorum descriptionem pertinens, nexum litoris ora semper comitatur; sed cf. Anian. fab. 20,10, Coripp. Ioh. 6,741 10 uagi Δ, corr. V²; uago fluminis hospitio per enallagen idem ualet ac uagi fluminis hospitio 11 cupidus semper Δ, prob. Enk Comm. crit. 64; sed cf. app. crit. ad 1,6,25 cupidus... rapinis ε 12 adriacis ω : a! Dryasin Scaliger : Hydriasin Lachmann, corr. Struve 13 sint duri ω : sit durum V² : sit (durum!) dist. Gronouius, corr. ε; simul audi tamen adire et de est (= ἔξεστι) + inf. cf. Draeger II 302 14 experto Liuius; intellege et inexpertos lacus et cf. 2,28,52; 4,7,65sq.; Verg. buc. 2,40sq.; K.-St. II 39

quae miser ignotis error perpessus in oris 15
 Herculis indomito fleuerat Ascanio.
 namque ferunt olim Pagasae naualibus Argon
 egressam longe Phasidos isse uiam,
 et iam praeteritis labentem Athamantidos undis
 Mysorum scopulis applicuisse ratem. 20
 hic manus heroum, placidis ut constitit oris,
 mollia composita litora fronde tegit.
 at comes inuicti iuuenis processerat ultra
 raram sepositi quaerere fontis aquam.
 hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles, 25
 hunc super et Zetes, hunc super et Calais,
 oscula suspensis instabant carpere palmis,
 oscula et alterna ferre supina fuga.
 ille sub extrema pendens secluditur ala
 et uolucres ramo summoet insidias. 30
 iam Pandioniae cessit genus Orithyiae:
 a dolor! ibat Hylas, ibat Hamadryasin.
 hic erat Arganthi Pege sub uertice montis
 grata domus Nymphis umida Thyniasin,
 quam supra nullae pendebant debita curae 35
 roscida desertis poma sub arboribus

17 pegase N A P Δ : pagasse F : Pegases Pocchus, corr. F⁴ P²
 Argo Volscus; cf. Neue-Wagener I 481 18 longe ex longo N
 egressum Heinsius isse] esse V² 21 heroum in ras. P² :
 hominum F (corr. F⁴) 22 litora] tempora V²; cf. Theocr.
 13,32-35, Apoll. Rhod. 1,1182-1184 teget D Vo 24 sacram
 Rutgers frontis N 26 hinc ... hinc Heinsius zet(h)us
 N A P D² : zecus F : rethes D Vo 27 carpere ex corpore N
 plantis V² : plumis ζ : pennis Guyet 31 cesset ω : cessat V²,
 corr. Turnebus 32 (h)amadrias hinc ω : amor Dryasin Rut-
 gers : Enydriasin uel Ephydriasin Baehrens, corr. Itali 33
 phege ω : Pegae Scaliger, corr. Turnebus subuertite N 35
 nulli ζ; sed cf. Sommer 440sq. 36 roscida Δ : rorida Burman

et circum irriguo surgebant lilia prato
 candida purpureis mixta papaueribus.
 quae modo decerpens tenero pueriliter ungui
 proposito florem praetulit officio 40
 et modo formosis incumbens nescius undis
 errorem blandis tardat imaginibus.
 tandem haurire parat demissis flumina palmis
 innixus dextro plena trahens umero.
 cuius ut accensae Dryades candore puellae 45
 miratae solitos destituere choros,
 prolapsum leuiter facili traxere liquore:
 tum sonitum raptu corpore fecit Hylas.
 cui procul Alcides iterat responsa; sed illi
 nomen ab extremis montibus aura refert. 50
 his, o Galle, tuos monitus seruabis amores,
 formosum Nymphis credere uisus Hylan.

21

Tu, qui consortem properas euadere casum,
 miles ab Etruscis saucius aggeribus,

43 flumine A F (corr. F⁴) P 45 Hydriades Unger 48 lapso
 Itali iecit Carutti 50 fontibus ω (probb. Sh. Bailey 58,
 Pasoli Monob. 129), corr. Heinsius; cf. enim Val. Fl. 3,596sq.
 rursus Hylan et rursus Hylan per longa reclamatione / auia: re-
 sponsant siluae et uaga certat imago, Drac. Romul. 2,141-144
 interea furibundus adhuc Tirynthius ibat / et clamans quaerebat
 Hylan; cui litus et unda / Herculen cum uoce sonant et nomen
 amati / montes, silua uocant 51 monitis Δ 52 uisus]
 rursus V² : iussus ζ formosum ni uis perdere rursus (rusus
 Housman) Hylan Palmer, prob. Housman Class. Pap. 330; sed
 nihil mutandum: de Galli imprudentia cf. enim uu. 2sq. et de
 Nymphis cf. iam u. 11

21 priori coniungunt A (seiuigit A²) F P

quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
 pars ego sum uestrae proxima militiae.
 sic te seruato [ut] possint gaudere parentes, 5
 ne soror acta tuis sentiat e lacrimis:
 Gallum per medios ereptum Caesaris ensis
 effugere ignotas non potuisse manus;
 et quaecumque super dispersa inuenerit ossa
 montibus Etruscis, haec sciat esse mea. 10

22

Qualis et unde genus, qui sint mihi, Tulle, Penates,
 quaeris pro nostra semper amicitia.
 si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra,
 Italiae duris funera temporibus,

3 qui ς : quin *Onions* torquens Δ , corr. V^2 ; torques *idem ualeat ac detorques*: cf. *Hor. epist.* 2,1,127 4 maxima V^2 5 si te D seruatum *Passerat* ut *del. Puccius* 6 ne] haec uel nec ς : ut *Passerat*: et *Hailer*: me *La Penna*; ego uero duas sententias optatiuas, alteram positiuam (sic te seruato possint gaudere parentes) alteram negatiuam (ne soror acta tuis sentiat e lacrimis) hic *inesse censeo* *Acca Scaliger*; sed cf. *Tränkle Herm.* 96 (1968) 565 ruis A F (corr. F^2) 8 manus] minas V^2 9 at *Ayrmann*: nec *Butler*: sed *Enk*, sed cf. *Pasoli Monob.* 135 quicunque Δ ; sed cf. *Housman Class. Pap.* 294, qui quaecumque inuenerit i. q. licet sescenta alia inuenerit interpretatur, coll. *Lucr.* 1,670sq.; de familiae Δ lectione cf. *La Penna SIFC* 25 (1951) 206sq. 10 nesciat *Phillimore* tua N^2

22 priori coniungit N: ad tullum A F D V: ad tullum que sit patria sua P: fragmentum maioris carminis esse putat *Heinsius*, prob. *Leo Kl. Schr.* II 169-178, cum absit *Properti* nomen; cf. tamen *Hor. epist.* 1,20 (et *Fraenkel Hor.* 362sq.), *Ouid. am.* 3,15, *trist.* 4,10 1 genus] domus V^2 ; intellege qualis et a quo genus (= τὸ γένος)

cum Romana suos egit Discordia ciuis, 5
 (sic mihi praecipue, puluis Etrusca, dolor,
 tu proiecta mei perpessa es membra propinqui,
 tu nullo miseri contegis ossa solo),
 proxima supposito contingens Vmbria campo
 me genuit terris fertilis uberibus. 10

6-8 (sic ... solo) *dist. Scaliger* 6 sit ω (prob. *Kirsopp Lake CIPh* 35 [1940] 298): sis *ed. Brix.*: sed uel set *Palmer* (prob. *R. Reitzenstein Herm.* 31 [1896] 186), corr. ς ; cf. *Leo Kl. Schr.* II 175, qui puluis Etrusca pro uocatio habet et tu es simul audit 7 tu] et A F P D Vo (corr. $F^4 P^2$) 8 post hunc uersum 2,30,21sq. transt. *Housman* tum D 9 suppositos ... campos *Postgate* dub.; cf. tamen *Pasoli Monob.* 135 ("proxima Vmbria, sc. Perusia, campo posito sub montibus suis contingens, sc. agrum Perusinum, qui trans Tiberim est") 10 post hunc uersum 4,1,65sq. transt. *Housman* ferulis A F (corr. F^4)

liber primus explicit F: propertii aurelii naute ad tullum liber primus explicit P

incipit secundus ad Mecenatem F: Propertii Aurelii Naute liber secundus incipit feliciter. Ad Mecenatem cur de rebus bellicis non tractet P: Propertii Aurelii Nautae liber secundus incipit ad Mecenatem D: Propertii Aurelii Nautae l. II ad Mecenatem V

SEXTI PROPERTI

ELEGIARVM LIBRI IV

EDIDIT

PAVLVS FEDELI



STVTGARDIAE IN AEDIBVS B.G.TEVBNERI MCMLXXXIV

SUNY ALBANY
UNIVERSITY LIBRARY